

manarum Congregationum, maxime vero S. C. de Propaganda fide quae pro omnibus illis regionibus sub othomano jugo existentibus valebant, quaeque occasione diversarum dissensionum circa naturam et limites jurisdictionis lata fuere. Ut explicatio litterarum pontificalium et decretorum respectivi temporis, non parum nobis inservierunt rationes utriusque auctoritatis (episcoporum scilicet et superiorum regularium) in juris defensione pluries, variis temporibus, coram judicio S. C. de Propaganda fide, vel etiam coram civili foro deductae. Praeterea ex diversis sessionibus generalibus vel particularibus ejusdem S. Congregationis, in quibus res ecclesiae bosnensis tractabantur, vel ex decisionibus senatus veneti e-jusque jurisconsultorum sententiis, non semel reperire potuimus sensum ipsius Congregationis de Propaganda fide neconon illius temporis convictionem circa naturam juris Franciscanorum in parochias. Adhuc non leviter juvarunt nos diversae litterae sive ipsius S. C. de Propaganda fide, vel episcoporum aut Vicariorum Apostolicorum, immo et ipsorum Franciscanorum. Item relations diversorum episcoporum et Vicariorum Apostolicorum de canonica visitatione, in quibus illi totalem statum ecclesiae describendo etiam proprium sensum de juridica conditione parochiarum et jurisdictionis limitibus manifestant. — Haec vero omnia in ambitu historico respectivi temporis illustrare et firmare conati sumus

Quod hujusmodi documentorum collectionem attinet, fatendum est: sicut ipsa quaestio de organisatione pastorali proprium scriptorem non invenerat, sic neque collectorum fontium attentionem speciale ad se convertit.¹⁸ Ideo illa documenta, quae occasionaliter cum aliis reperta fuerunt, inveniuntur sparsa voluminibus a Waddingo,¹⁹ Farlati,²⁰ Fermendžin,²¹ Sbaralea, Eubel, Hüntemann,²² Jelenić,²³ Mandić,²⁴ Horvat²⁵ et aliis (suo loco al-

¹⁸ Nedić P. F., coligit ex diversis collectionibus et archivo provinciali quaedam tantum documenta, quae ei principaliora videbantur, in librum cui titulus: *Monumenta privilegiorum, concessionum, gratiarum et favorum provinciae Bosnae Argentinae, Vukovarini 1886; P. J. Marković in opere: Le parochie franciscane in Dalmazia, Zara 1885, 36 documenta edidit.*

¹⁹ Waddingus L., *Annales Minorum, I—XXV, Quaracchi 1931—1934.*

²⁰ Farlati, *Illyrici sacri I—VIII, continuavit Coleti SJ, Venetiis 1751—1819.*

²¹ Fermendžin, *Acta Bosnae potissimum ecclesiastica, Zagreb 1892*

²² Bullarium Franciscanum, I—IV a P. J. H. Sbaralea, Romae 1759—1768; V—VII a P. C. Eubel, Romae 1898—1904; VIII a P. U. Hüntemann Quaracchi 1929 editum.

²³ Jelenić J., praecipue publicationes ejus sunt: *Izvori za kulturnu povijest bosanskih franjevaca, Sarajevo 1913; Spomenici kulturnog rada bosanskih franjevaca (1437—1878), in Starine Jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti, lib. XXXVI (1918), 81—162; Spomenici kulturnog rada franjevaca Bosne srebreničke, in Monumenta franciscana jugoslavica, I Mostar 1927.*

²⁴ Mandić D., *Acta franciscana Hercegovinae, in Monumenta franciscana jugoslavica, II, Mostar 1934.*

²⁵ Horvat K., *Novi historijski spomenici za povijest Bosne i su-*